

JURIS CANONICI

UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS

QUINQUE LIBRORUM DECRETALIU

In Quæstiones distributi solidisque Responsionibus
et objectionum Solutionibus dilucidati

LIBER SECUNDUS.

TITULUS XX.

De Testibus et Attestationibus.

§ VI.

DE TESTIMONIO LAICORUM CONTRA CLERICOS ET ECONTRA.

160. *Laici in causa criminali clericorum regulariter testimonium ferre non possunt.* — Quæritur I. Utrum laici possint ferre testimonium in judicio contra clericos, et quando? Resp. I. Laicus contra clericum in causa criminali regulariter testimonium ferre non potest. Textus est in can. *Nullus laicus* 2. q. 7. ibi: « Nullus laicus audeat clerico crimen inferre: » juncto can. *Beatus Petrus* 6. q. 4. cum concordantiis. Unde Alexand. III. in c. *De cætero*. 14. h. t. in hæc verba rescripsit Salernitano archiepiscopo: « De cætero laicos in accusationem, vel testimonium, contra clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendos, censura sacrorum canonum manifestus edocet: nisi forte suam, vel suorum injuriam prosequantur. Nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti. » Hæc ibi.

161. *Laici sunt clericis oppido infesti.* — Accedit ratio, tum quia laici non sunt ejusdem conversationis, nec paræ dignitatis cum clericis: quinimo clerici sunt patres, et rectores ipsorum; can. *Absit*. 11. q. 3. et can. *Duo sunt genera*. 12. q. 1. cum similibus. Unde propter reverentiam clericis debitam, et quorum castitatem et gravitatem nolunt imitari, recte laici eos impetere prohibentur, can. *Laicos*. 2. q. 7. Impeterent autem, si contra clericos testimonium judiciale in causa criminali ferrent; tum quia tale testimonium laicorum contra clericos, est suspectum: nam laicos oppido clericis infestos esse, ipsa tradit antiquitas: cit. can. *Laicos* et can. *Laici in accusatione*. 2. q. 7. et c. *Clericis d. Immunitat. Eccles.* in 6; Mascardus de *Probat.* concl. 1365. n. 44. et alii.

162. *Cur laici possint clericos accusare, non vero contra eos testimonium dicere?* — Dices: Possunt laici in causa criminali agere contra clericos, istosque accusare, saltem « si suam, vel suorum injuriam prosequantur, » juxta allegatum textum cit. c. *De cætero*, h. t.; ergo a pari possunt etiam testificari contra eos, Resp. neg. consequent. et paritatem. Disparitas est, quia testimonium dicere est majoris præjudicii quam accusare. Judex

enim tenetur ferre sententiam secundum allegata, et probata per testes; non vero secundum propositam accusationem, can. *Judicet*. 3. q. 7. et l. *Rem non novam*. C. de *Judiciis*, cum similibus. Et hinc fit, quod laici, dum suam, vel suorum injuriam prosequuntur, merito admittantur clericis criminaliter accusandos, non vero ad testificandum contra ipsos: quia ex hoc posteriori facile damnum irreparabile clericis accideret, si laici contra illos juxta antiquum suum affectum sinistrum male testarentur; non item ex priori.

163. *Criminaliter agitur contra clericum, quando agitur ad degradationem, vel depositionem ab ordine. Ad hanc proprie tendit accusatio clericorum.* — Additur, notanter in data conclusione, «in causa criminali.» Si quidem ipsa procedit solum in causis criminalibus criminaliter motis contra clericos; puta, ubi agitur ad degradationem, vel depositionem ab ordine: ad hanc enim proprie tendit accusatio clericorum, c. *Qualiter et quando* 24. § *Verum ita. de Accusatione*. Et in talibus causis regulariter laici, veluti suspecti ob antiquam infestationem clericorum; contra hos in testes non admittuntur.

164. *Civiliter agitur contra clericum, quando agitur ad restitutionem rei alienae, vel ad privationem beneficii. Laicus potest testificari contra clericum in causis civilibus.* — Secus dicendum est in causis civilibus, vel quando de crimine solum agitur civiliter; puta, ad restitutionem rei alienae, vel ad privationem beneficii, nam etiam tunc dicitur agi civiliter solum, uti patet ex c. *Per tuas*. 32. § *fin. de Simonia*. Quando enim civiliter dumtaxat agitur, tunc laicus admittitur in testem contra clericum; prout desumitur ex c. *Quoniam*. 3. h. t. ac notat Abbas in cit. c. *De cætero*, n. 6. et Barbosa ibid. n. 4. h. t. argumento a sensu contrario desumpto; Mascardus, cit. concl. 1365. n. 54; Farinacius, quæst. 61. de *Testib.* n. 120. allegans plurimos alios.

165. *Imo et in criminibus exceptis.* — Quin etiam loquendo de causis criminalibus, limitatur eadem conclusio in criminibus exceptis; ut est crimen hæresis, læsæ majestatis, simoniæ, et hujusmodi: quia in talibus admittantur laici in testimonium contra clericos, si bono zelo, et non odio procedere videantur, c. *Tanta*. 7. de *Simon.* et notat Glossa in c. *Cum P. §. Laicus. de Accusat.*

166. *Sicut et in crimine notorio, ac probatione infamiæ.* — Idem dicendum in crimine

notorio: nam tunc etiam laici admittuntur contra clericos, arg. c. *Cum dilectis*. 13 de *Purgat. Canonic.*; Abbas in d. c. *De cætero*. n. 4. et Barbosa ibid. n. 4. h. t.; Pirhing h. t. n. 58. Farinacius, ead. quæst. 61. n. 118. allegans alios. Item in probatione infamiæ clerici: nam ad istam probandam admittuntur laici, hoc ipso, quod admittantur in crimine notorio. Mascardus de *Probat. concl.* 1365. n. 49 et 50; Barbosa cit. n. 4; Farinacius. n. 119. et alii.

167. *Et ob defectum testimonii ecclesiasticorum.* — Limitatur rursus eadem conclusio ob defectum testimonii ecclesiasticorum; puta, quia crimen clerici est commissum in villa, ubi non aderant alii clerici: quia tunc admittuntur laici in testimonium, ne alioquin delictum clerici remaneat impunitum, eique præbeatur causa delinquendi. Hac quippe de causa, seu in casu difficilis probationis, cæteroquin etiam admittuntur testes alias inhabiles, cap. ult. de *Testib. cogend.* et notat Abbas loc. cit. n. 3. Barbosa d. n. 4; Mascardus cit. concl. 1365. n. 46. et alii. Tacentur nonnullæ similes limitationes, apud præfatos auctores videndæ.

168. *Clerici non admittuntur ad testimonium contra laicos in criminali.* — Quæritur II. An clerici sint admittendi ad testificandum adversus laicos? Resp. I. Clerici non admittuntur ad ferendum testimonium contra laicos in causa criminali criminaliter agitata. Ita Abbas in c. *De cætero* 14. n. 1. h. t.; Mascardus, de *Probat. concl.* 306. n. 6; Farin. cit. quæst. 61. q. 57. et alii. Idque liquet ex can. *Testimonium*. 11. q. 1. ubi S. Sylvester Papa in concilio Romano, cap. XIV. sic descripsit legitur: «Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat:» subintellige, «in causa criminali;» prout explicat Glossa ibid. §. *Recipiat.* et archidiaconus ibid. n. 1 et 3.

169. *Etiam si non agatur de imponenda laico criminoso pena sanguinis; quamvis nonnulli contrarium teneant.* — Ampliatur conclusio, ut procedat non solum, quando criminaliter agitur adversus laicum ad imponendam penam sanguinis (juxta dicenda n. seq.) sed etiam, ut ea locum habeat, quando contra laicum agitur criminaliter, seu ad publicam vindictam, etiam si non agatur de imponenda laico criminoso pena sanguinis. Id enim videtur convincere textus proxime allegatus, utpote indistincte loquens: ac (demptis casibus exceptis, de quibus infra) tenet Felinus in cit. c. *Ex litteris*, n. 1. h. t. ac verius esse,

censet Farinacius d. quæst. 64. n. 69. allegans alios: quamvis contrarium teneat Mascardus cit. concl. 306. n. 7. Jul. Clarus lib. V. § *fin.* quæst. 24. n. 8. volentes, clericum posse testificari contra laicum in causa criminali, ubi non venit irroganda pena sanguinis, can. *Quamquam* 14. q. 2.

170. *Ubi agitur ad penam sanguinis irrogandam, nullo modo potest clericus esse testis. Ne quidem in criminibus exceptis.* — Eadem conclusio vel maxime procedit, quando agitur criminaliter ad irrogandum laico criminoso penam sanguinis, seu mutilationis, aut mortis: quia tunc nullo modo potest clericus testificari contra laicum, propter periculum irregularitatis, quam illata reo propter suum testimonium pena mortis, vel mutilationis, clericus incurreret. Glossa in can. *Aliquantos*, dist. 51. §. *Ad Sacerdotium*. Covarruvias in Clem. *Si furiosus*, part. II. § 4. n. 5. vers. «Decimo tertio.» Felinus c. *De cætero*. n. 1. h. t. et communis. Adeo, ut clericus ne quidem in criminibus exceptis, v. g. læsæ majestatis; etc., testificari possit contra laicum, quando propter illud crimen intelligenda esset pena sanguinis. Farinacius cit. quæst. 61. n. 66. et 67. quidquid nonnulli alii contradicant, apud ipsum n. 65. relati.

171. *Etiam si protestetur, se nolle deponere ad causam sanguinis. Solvitur instantia ex c. Prælati. de Homicid. in 6. desumpta.* — Nec obstat, quod clericus protestetur, se nolle deponere ad causam sanguinis, arg. c. *Prælati. de Homicid.* in 6. ubi clerici sine pena irregularitatis possunt de suis malefactoribus conqueri coram judice sæculari, etiam de criminibus, quibus debetur pena sanguinis. Non obstat, inquam: quia protestatio ex parte testis in causa sanguinis deponentis, omnino est contraria facto, utpote in quo civiliter nihil agitur; ac proinde, si ex tali testimonio mors reo inferatur, contrahitur irregularitas. Secus in casu cit. c. *Prælati*, ubi clerici, penes sæculares judicem sub dicta protestatione deponentes, petunt solummodo emendam sibi fieri, et provideri, ne impostorum ejusmodi injuriæ, seu spoliationem sibi inferantur. Unde patet, quod agant civiliter ad proprium interesse, seu privatam suam indemnitate: et nisi istud eisdem liceret, daretur malitiosis materia clericos trucidandi, ipsorumque bona libere deprædandi; prout loquitur textus ibidem. Felinus, Covarruvias, Farinacius, ubi supra. Pirhing h. t. n. 59. et alii.

172. *Potest episcopus judici laico concedere licentiam exhumandi corpus occisi, ut constet de corpore delicti, absque irregularitate. Non tamen potest judex laicus a loco sacro illud exhumare inconsulto episcopo.* — Dices. Potest episcopus judici laico concedere licentiam exhumandi corpus hominis occisi, et in loco sacro sepulti, ad cognoscendum de corpore delicti (seu, an vulnus defuncto illatum lethale extiterit, vel potius is ex incuria v. g. chyrurgi mortuus fuerit) nec tamen episcopus incurrit irregularitatem, etiamsi deprehenso postea vulnere lethali, homicida morte plectatur, maxime accedente protestatione episcopi circa penam sanguinis; ergo idem dicendum de clerico, qui fert testimonium de tali vulnere inflictio, saltem præmissa protestatione, quod nolit deponere ad causam sanguinis. Antecedens docetur a Diana, part. IX. tract. VII. resol. 64. allegante pro se Genuesem in *Præxi*. cap. XLII. n. 10. et alios: quamvis merito addat, quod Judex laicus inconsulto episcopo non possit ad præfatum finem exhumare corpus occisi, et in cimiterio sepulti; frangeret enim immunitatem ecclesiasticam, atque ideo posset excommunicari, c. *Decet domum de Immunit. Eccles.* in 6. Resp. concessio antecedente, una cum sua declaratione, neg. consequent. Disparitas est: quia ad incurendam irregularitatem requiritur actus, qui est causa propinqua mortis, seu mutilationis, et non admodum remota. Glossa un. c. *De cætero. de Homicid.* Navarrus cap. XXVII. *Manual.* n. 211. et alii, ac dixi egomet ipse in *Theolog. moral.* tract. XIII, dist. 3. n. 59. Atqui concessio episcopalis exhumandi corpus occisi, ut possit constare de corpore delicti, est actus remotissimus, et suapte natura non directus in mortem, vel mutilationem reo inferendam; bene tamen testificatio de vulnere lethali inflictio; ergo. Accedit, quod in simili casu, ubi malefactor captus a judice sæculari falso dixit se esse clericum, Episcopus possit ipsum pronuntiare laicum absque periculo irregularitatis, et sine limitatione, an postea sequatur mors illius malefactoris, necne, c. *Si Judex*. 12. de *Sentent. excomm.* in 6. idem ergo dicendum in proposito. Diana cit. resol. 64.

173. *Potest etiam clericus testificari in causa criminali pro laico, seu ad ejus defensam.* — Resp. II. Nihilominus data conclusio nonnullas patitur limitationes, seu fallentias. Et primo quidem potest clericus testificari in causa criminali pro laico, seu ad ejus defen-

sionem, et innocentiam ostendendam : haud obstante, quod hac ratione simul testificetur contra alterum laicum, qui ipsum accusavit. Felinus d. c. *De cætero*. n. 3 et 8 h. t.; Pirhing h. t. n. 60; Farinacius cit. quæst. 61. n. 74. allegans alios; et concordant dicta superius n. 125.

174. *Item, quando laicus accusatur de crimine coram iudice ecclesiastico.* — Limitatur secundo, quando laicus accusatur de crimine coram iudice ecclesiastico : quia tunc etiam clericus potest in testem produci contra laicum. Archidiaconus can. *Testimonium*. 11. q. 1. n. 3. id probans ex can. 1. caus. 6. q. 2. Abbas in c. *De cætero*. n. 1. vers. *Dicit tamen.* et Felinus ibid. n. 1. h. t. Farinacius ubi supra n. 70. allegans alios.

175. *Et ubi veritas aliter haberi non potest, nec agitur ad pœnam sanguinis.* — Limitatur tertio, ubi veritas aliter haberi non potest : quia tunc in subsidium, non solum in civilibus (de quibus infra n. 179. et seqq.) sed etiam in criminalibus dummodo non agatur de imponenda pœna sanguinis, clerici admittuntur in testes contra laicos, per textum in can. *Quamquam*. 4. q. 2. et notat Glossa ibid. in *Casu*, et \ddot{y} . *Occultetur*. Abbas c. *Cum nuntius*. n. 3. h. t. Felinus c. *De cætero*. n. 1. vers. « Fallit secundo. » eod. Alexander consil. 65. n. 7. lib. VII. Farinacius d. quæst. 61. n. 71 et 72. citans alios, et nonnullas alias limitationes subjungens.

176. *In hisce casibus clerici ad testificandum cogi possunt per iudicem sæcularem.* — Notandum tamen, quod in illo, et aliis hujusmodi casibus, clerici ad testificandum cogi non possint per iudicem sæcularem, coram quo vertitur quæstio contra laicum : nam clerici sunt exempti a jurisdictione fori sæcularis, adeoque nullam potestatem potest habere iudex sæcularis in personam clerici, puta, cogendo ipsum ad ferendum testimonium, cap. II. *de Foro compet.* cum similibus. Quinimo istud expresse est prohibitum, can. *Testimonium*. 11. q. 1. illis verbis. « Nemo clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia : » ubi Glossa ly, « in publico, » exponit pro « Foro sæculari. » Concordat can. *Nullus ex Ecclesiastico*. 22. q. 5. ubi prohibetur, ne clericus cuiquam laico quidpiam jurare præsumat : sine juramento autem non creditur depositioni testis, quantumcumque religiosi, in alterius præjudicium, c. *Tuis quæstionibus*. 39. et c. *Nuper*. 51. h. t.

177. *Sed episcopus ejus, ad requisitionem iudicis sæcularis, debet per se, aut per alium, examinare clericum.* — Itaque in tali casu observanda erit dispositio cit. can. *Quamquam*. 14. q. 2. ubi statuitur, quod si clericos in subsidium oportuerit dare testimonium, « ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii episcopi sit, ut aut coram se et competentibus iudicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant, » seu testificentur. Ex quibus verbis liquet, quod ubi in causa laicorum examinandus est clericus in subsidium veritatis, debeat episcopus per iudicem sæcularem, coram quo vertitur quæstio, debite requisitus, vel per se, vel per alium a se deputandum, judicialiter examinare clericum illum; hujusque depositionem per tabellionem, ac sub sigillo suo remittere ad iudicem causæ : prout etiam solet observari, quando testes sunt in alieno territorio, ut c. *Constitutus*. 3. *de Fidejussorib.* Ita Archidiaconus in cit. can. *Quamquam*. 14. q. 2. n. 2. Abbas c. *Cum nuntius*. n. 3. et Felinus ibid. n. 3. h. t.; Pirhing eod. n. 60; Mascardus, concl. 365. n. 61; Farinacius cit. quæst. 61. n. 83. allegans plurimos alios.

178. *An tale examen clerici contra laicum, possit jubente episcopo fieri per iudicem sæcularem?* — Quinimo plerique horum doctorum addunt, quod tale examen clerici contra laicum, jubente episcopo, seu de ipsius assensu, si ita expedire judicaverit, possit etiam fieri per iudicem sæcularem : cum licentia enim episcopi potest clericus etiam coram iudice sæculari testimonium ferre. Abbas. Pirhing, Mascardus, Farinacius, ubi supra, et alii; ac favet textus in can. *Super prudentia*. § *Potest.* in fin. ibi : « jubente episcopo : » 14. q. 2. et cit. can. *Quamquam*. eod. 14. q. 2. ibi : « Aut aliter honorifice veritatem attollant. » Atque hactenus dicta procedunt de causis criminalibus criminaliter motis laicorum, seu quando contra istos agitur ad capiendam publicam vindictam : nunc loquendo de causis eorum civilibus.

179. *In causis civilibus potest clericus contra laicum ferre testimonium. Sicut, et quando de crimine solum agitur civiliter.* — Resp. III. Quod in causis civilibus laicorum possit clericus contra laicum ferre testimonium, passim fatentur doctores : ut Archidiaconus in can. *Testimonium*. 11. q. 1. n. 1. juncta Glossa ibid. Abbas c. *De cætero*. n. 1. et Felinus ibid. n. 1. h. t. et alii. Idemque dicen-

dum, quando de crimine agitur solum civiliter; puta, ad faciendam restitutionem rei alienæ injuste ablatae, vel ad pœnam pecuniariam : quia tunc pariter nihil est, quod impedit clerici testimonium contra laicum. Abbas cit. n. 1. Pirhing h. t. n. 60. (hi tamen istud solummodo admittunt in defectum aliorum testium, seu « ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur, » prout loquitur textus in cit. can. *Quamquam*. 14. q. 2.) Felinus d. n. 1. Farinacius ead. quæst. 61. n. 68. et 77. allegans alios.

180. *Clericus ratione ordinis est testis magis idoneus, quam laicus.* — Quin imo, quod clericus ratione ordinis presbyteratus sit magis idoneus testis quam laicus, textus est in c. *Quamquam*. 14. q. 2. ibi : « Quamquam sacerdotum testimonium credibilis habeatur, » etc. Concordat Glossa can. *Monachos*. dist. 77. \ddot{y} . *Quorum* ubi inquit, « quod tantum valeat testimonium quatuor clericorum, quantum sex laicorum. » Mascard. cit. concl. 306. n. 1. id ipsum asserens, ac pro se citans Socinum consil. 28. col. 3. circa princip. et Decium c. *Ex litteris*. n. 24. *de Probat.* Speculator tit. *de Requisitione consilii*, n. 8. Sperellus decis. 81. *Fori ecclesiast.* n. 49. post Cravettam consil. 43. n. 4. vol. VII. ubi citatis pluribus aliis inquit, quod qualitas illa, nempe quod quis sit clericus, seu Sacerdos, augeat fidem; et tales sint testes majoris fidei : unde eorum testimonium, cæteris paribus, præfertur testimonio laicorum regulariter.

181. *Saltem regulariter.* — Et notanter subdit ly « regulariter. » Nam si duo Clerici dicant, Titium commisisse fornicationem cum Caja, v. g. tali die, duo autem laici testificentur Titium fuisse cum eis tota illa die in alio loco; tunc præponendi sunt laici, quia stant pro reo. Glossa notabilis in can. *Clerici*. dist. 81. \ddot{y} . *Aliqui*. Abbas c. *In nostra*. n. 4. h. t. istud limitans, dummodo sit modicus excessus in testibus actoris; simulque cesset præsumptio subornationis ex parte testium laicorum, in favorem rei deponentium.

182. *Clerici non possunt esse testes in instrumentis sæcularium, can. Quamquam, 14, q. 2.* — Dices. Clerici extra casum necessitatis, et absque consensu episcopi, non possunt esse testes in instrumentis sæcularium conficiendis; ergo multo minus in causis criminalibus ipsorum, etiam civiliter dumtaxat agitatis; et consequenter præmissæ limitationes non videntur subsistere. Antecedens probatur ex

cit. can. *Quamquam*. 14. q. 2. ubi in synodo habita Romæ ab Eugenio Papa II. cap. XIII. sic statutum legitur : « Quamquam sacerdotum testimonium credibilis habeatur; tamen ipsi in sæcularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur : quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem eventu aliquo causæ interfuerint, et aliquid viderint, vel audierint, ubi nullæ idoneæ sæcularium inveniantur personæ; ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii episcopi sit, ut aut coram se et competentibus iudicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant. » Hæc ibi : Accedit, quod clerici, ac præsertim monachi et religiosi, subsint suo episcopo, vel prælato regulari, ac sub ejus obedientia sint positi; ergo hoc ipso non possunt esse testes sine licentia ejus, cui subsunt, arg. can. *Monachi vagantes.* et can. *Monachi a monasterio*. 16. q. 1. cum similibus.

183. *Et quomodo istud intelligendum?* — Ad hanc notabilem instantiam respondetur primo, non deesse auctores qui volunt, relatum canonem *Quamquam* 14. q. 2. procedere potius de honestate, quam de necessitate; prout videtur insuere ly, « Eos in talibus rebus esse non convenit. » Atque ita sentit Felinus c. *Cum nuntius*. n. 3. in fin. h. t.; Pirhing eod. n. 60; Farinacius cit. quæst. 61, n. 64. allegans alios. Sed quoniam jure cautum est, « Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant, » prout loquitur rubrica eod. tit. juncto nigro ibid. Hinc spectato rigore juris canonici illicitum videtur, quod clerici extra casum necessitatis, et sine licentia episcopi, aut monachi sine prælati sui consensu, testimonium ferant in instrumentis, aliisque causis sive contractibus civilibus laicorum. Glossa in Authent. *De Monachis*. § *Cogitandum*. \ddot{y} . *Testes* Collat. 1. juncta Glossa marginali ibid.; Abbas in c. *Cum nuntius*. n. 3. h. t.; Farinacius cit. quæst. 61. *de Testib.* n. 64. et alii; Qui omnes istud probant, tum ex cit. can. *Quamquam*. 12. q. 2. tum quia, ut dictum, Clericis illicitum est, negotiis sæcularibus se immiscere, tot. tit. *Ne Clerici vel monachi*, juncto illo sancti Apostoli II^o Timoth. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

184. *Et quomodo istud intelligendum?* — Respondetur secundo, quidquid sit de rigore juris canonici, citatum can. *Quamquam* 14. q. 2. saltem quantum attinet clericos sæcu-

lares, vel non esse usu receptum, vel denuo per contrariam consuetudinem abrogatum. Solent enim clerici illi passim in testamentis, aliisque contractibus laicorum, ex generali consuetudine in testes adhiberi, etiam sine alia licentia superioris ecclesiastici: prout refert Farinacius cit. n. 64. post Aretinum consil. 159. n. 20. et alios; ac Pirhing cit. n. 60. Verum quoad monachos, aliosque Religiosos, qui strictius per votum obedientiae suis superioribus propter Deum se subjece- runt, oportet observare laudabiles cajslibet ordinis constitutiones, et consuetudines.

185. *Stante rigore juris canonici, validum est testimonium clerici, vel monachi, in causis civilibus laicorum sine licentia superioris.* — Quin etiam stante dicto rigore juris canonici, si clericus sine licentia episcopi, aut monachus absque consensu sui praelati, sponte deponat, et a iudice saeculari admittatur ad ferendum testimonium super instrumentis; aliisque alii causis civilibus laicorum; tunc, etsi illud foret illicitum, nihilominus validum existeret, parte altera nihil opponente; tum quia licentia superioris est quoddam accidentale, non autem de substantia actus testimonii, arg. cap. i. de Testib.; tum quia multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, c. Ad Apostolicam. 14. de Regular. Simulque, quia nullibi reperitur, tale testimonium a jure declarari irritum, ac invalidum. Abbas cit. c. Cum nuntius. n. 3. et 4. et Felinus ibid. n. 3. h. t. ex professo hanc quaestionem examinantes; Mascardus de Probat. concl. 260. n. 12. et 13; Farinacius cit. quaest. 61. n. 84. et 134. allegans plures alios. In praxi tamen (monent citati auctores) consultius est, ad effugendum dubietates habere licentiam superioris: nam quod testamentum possit impugnari, in quo monachus absque sui superioris licentia est testis, eo quod pro mortuo habeatur, tradidit Jo. Faber, § Testes. n. 3. Instit. de Testament. junctis nonnullis aliis, quos in oppositum citat Mascardus d. concl. 260. n. 1. et 2.

§ VII.

DE TESTIBUS IN CAUSA PROPRIA, VEL ECCLESIAE, AUT UNIVERSITATIS SUE.

186. *Regula est: Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. Testis debet carere omni suspitione falsitatis, seu propensionis in*

unam partem. — Quæritur I. An aliquis possit esse testis in causa propria, seu ex qua commodum ac interesse suum dependet? Resp. I. Regula est: « Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. » Ita textus in l. Nullus. ff. de Testib. quæ est canonizata in can. Si testes, § Nullus. 4. q. 3. Concordat textus in l. Omnibus. C. eod. illis verbis: « Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt. » Quod ipsum habetur cit. can. Si testes. § Omnibus, et quæ recepta doctorum sententia; adeo, ut contradictorem non habeat, teste Farinacio quaest. 60. de Testib. n. 2. Accedit ratio, quia testis debet carere omni suspitione falsitatis, seu propensionis in unam partem magis, quam in alteram can. Placuit sancto, et can. Si testes. § I. caus. 4. q. 2. et 3. Atqui istud non reperitur in teste respectu causæ propriæ; cum ob naturalem inclinationem quilibet præsumitur esse magis affectus erga rem propriam, quam alienam, ergo, veluti suspectus, merito repellitur a ferendo testimonio in causa propria.

187. *Testis in propria causa non est idoneus, etiamsi deponat in mortis articulo. Aut in ultima voluntate debitam sibi pecuniam significaverit.* — Atque istud ampliatur, etiamsi testis deponens in causa propria, constitutus sit in mortis articulo. Quia, licet tunc quilibet præsumatur non immemor esse propriæ salutis, sicque nolle pejerando attestari falsum; nihilominus ob rationem jam dictam, testimonium ejus in causa propria non est idoneum. Farinacius cit. n. 2. post Nattam consil. 74. n. 4. et plures alias ampliationes subjungens. Huc facit textus in l. Rationes. C. de Probation. ubi dicitur, quod attestatio scripta cujuscumque se sola non sufficiat ad probandum, « etsi in ultima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas, sibi deberi significaverit. »

188. *Etiam ille est testis idoneus, qui habet interesse in causa. Causa propria, quæ dicitur? — Resp. II. Etiam ille est testis idoneus, et repellendus a dicendo testimonio, qui habet interesse in causa; puta, quia ex suo testimonio commodum, aut, si non testificetur, incommodum sit reportaturus. Ita Glossa in d. can. Si testes. 4. q. 3. y. Sud, istud exemplificans in re communi: quia, quod commune est, utriusque est, l. Alud. ff. de Ritu nuptiar. Farinacius cit. quaest. 60. n. 4; Pirhing. h. t. n. 79. et alii. Ratio est, quia « Causa propria dicitur ea, cujus emo-*

lumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet; » prout loquitur textus in l. I. § In propria. ff. Quando appellandum sit. et can. Biduum. § Et palam est. 2. q. 6. Ergo, cum in propria causa nemo sit testis idoneus, idem dicendum, ubicumque aliquis habet interesse in ea; seu quando commodum, aut damnum inde sibi obventurum est suo nomine. Et notanter hoc ultimum additur, propter dicenda n. 212. et seqq. conformiter quibus præsens conclusio est intelligenda.

189. *Advocatus, procurator, etc., nequit esse testis in causa, cui patrocinium gessit.* — Atque isthæc conclusio ampliatur ad advocatum: nam etiam advocatus non potest esse testis in causa cui patrocinium præstitit, l. ult. ff. h. t. juncta Glossa fin. ibid. istud extendente ad syndicos, tutores et curatores. Concordat c. Romana. h. t. in 6. ubi dicitur: « In appellationis causa, is qui appellantis procurator vel advocatus in priori judicio fuerat, non recipiatur in testem. » Idque merito statutum fuit propter propensionem animi sui voluntatem in causam illam, cui advocatus antea patrocinium præstitit: unde est præsumptio, quod ferret testimonium potius pro ea parte, pro qua antea stetit. Speculator tit. de Teste. § Opponitur. 74. Mascardus de Probat. concl. 66. n. 1. citans plures alios: quamquam hoc ipsum postea limitet variis modis, ac præsertim accedente consensu partium; nam quod de voluntate partium etiam mediator testificari cogatur, textus est in auth. de Testibus. § Quoniam vero. collat. 7.

190. *Illi, qui habent simile negotium huic, ad quod testes inducuntur, non sunt in testimonium admittendi.* — Ampliatur ulterius data conclusio, ut procedat etiam in illis, qui habent simile negotium huic, ad quod testes inducuntur. Siquidem isti, ob præsumptam affectionem, quam « morbo consimili laborantes » (hoc est, similem causam habentes, de qua aliunde constat, vel legitima probatio adest) gerunt erga propriam causam, sive negotium suum, non sunt testes idonei, « nec si ab alterutra parte testes adducti fuerint, in testimonium admittendi. » Ita loquitur textus in c. Personas. 20. h. t. ubi proin Glossa in casu, generatim notat, quod « qui consimilem causam habet, in causa consimili testis esse non debet. » Hoc ipsum amplius tradit Abbas ibid. n. 1. et 2. et Vivianus in Rationali, et Barbosa in Collectan. n. 2. et Mascardus de Probation. concl. 1364. n. 54. et alii. Sicut enim iudicem similitudo causæ, quam

habet ut privatus, repellit a iudicio in alia consimili causa, ne forsitan ductus affectione suæ causæ, quam justam putat, sic iudicet in causa alterius, c. Causam. quaest. 19. de Judiciis, estque jam dictum supra tit. I. de Judiciis. § 8. n. 205. Ita etiam (et quidem a fortiori, ob majus periculum, de quo supra § 2. n. 63.) similitudo causæ reddit testem suspectum, ut possit repelli a testificando, cit. c. Personas. h. t. et l. Quoniam. c. eod.

191. *Ad faciendam videlicet plenam probationem; secus ad aliqualem præsumptionem.* — Intellige, quod testes consimilem causam habentes reddantur suspecti, nec sint « in testimonium admittendi » (juxta textum allegatum) parte contra eos excipiente: simulque, quod non sint admittendi in effectu, seu quantum ad faciendam plenam probationem. Nam ad aliqualem præsumptionem bene possunt admitti, considerata qualitate causæ, et personarum, qua inspecta bonus iudex arbitrabitur quanta fides ipsis sit adhibenda. Abbascit. c. Personas, n. 2. et Vivianus ibid. h. t.

192. *Regula illa limitatur, si testis cum juramento protestetur, se nolle commodum sentire ex sua depositione.* — Resp. III. Patitur nihilominus data conclusio, seu regula quasdam limitationes. Et primo quidem ipsa limitatur, si testis ante depositionem suam cum juramento protestetur se nolle commodum sentire ex sua depositione, aut incommodum inde proveniens ad se non pertinere: tunc enim etiam in causa, ad quam cæteroquin præsumptam affectionem gerere censeretur, validum testimonium dicere poterit, eo quod ejusmodi præsumptio per dictam protestationem elidatur. Ita Socinus in Fallentiis, reg. 422. fallent. 1; Mascardus cit. concl. 1364. n. 57; Farinacius d. quaest. 60. n. 51. et 52. allegans plurimos alios.

193. *Limitatur etiam in testibus multum legalibus.* — Limitatur deinde in testibus multum legalibus, et fide dignis: quia tales admittuntur ad testificandum, haud obstante, quod eorum aliqualiter intersit. Mascardus loc. cit. n. 58. post Imolam concil. 58; Farinacius, ubi supra, n. 54. citans alios.

194. *Limitatur etiam in causis modici emolumentum.* — Idem dicendum in causis modici emolumentum: quia tunc cessat præsumptio immoderate affectionis; simulque ob modicum emolumentum leges neminem præsumunt velle pejerare, arg. c. Et si quaestiones. 18. de Simonia. Mascardus n. 60; Farinacius n. 56; Pirhing h. t. n. 81.